

num in se, vocat pulchrum, in quantum delectat nos *comedentes*; scientiae et virtutes artesque, quamvis pulcherrimae in se, non tamen pulchrae, sed bonae vocantur, in quantum afficiunt et perficiunt facultates nostras; immo magnas nonnunquam acquirenti difficultates creant et molestias.

Sunt, qui pulchritudinem formaliter ad cognitionem spectare censeant (e. g. Stöckl, Gietmann etc.). Sane, cognitio rei pulchrae eaque clarissima intellectualis simulque sensitiva, ut infra dicemus, est *conditio necessaria* ad pulchrum *percipiendum* atque *sentiendum*, non tamen est eius ratio formalis et specifica. Facultas enim cognoscendi ex se indifferens est ad res tum pulchras tum non pulchras percipiendas multaeque res a nobis perfecte cognoscuntur, quin tamen propterea pulchrae sint vel vocentur, e. g. $2 + 2 = 4$; vultus hominis vulneribus vel ulcere deformatus. Requiritur igitur ratio aliqua *boni* in re pulchra, qua voluntas nostra alliciat, quod auctores plurimi, ut infra patebit, nobiscum sentiunt.

2. Pulchrum igitur *bonum* vocatur, in quantum *modo intentionali* possidetur, i. e. in quantum eius habemus *claram intuitionem sive perfectam cognitionem*, quod ipsum nomen germanicum (*schön, schauen*) indicat. Neque enim ideo rosam appellamus pulchram, quia illam forte possidemus et manu tenemus, neque ideo, quia bene olet, sed quia aspectus eius nos delectat, sicut coeli stellati vel ortus solis intuitus solus gaudio nos afficit. Unde S. Thomas: „Pulchrum et bonum in subiecto quidem sunt *idem*, quia super eandem rem fundantur, scilicet super formam, et propter hoc bonum laudatur ut pulchrum; sed *ratione differunt*. Nam bonum proprie respicit appetitum . . . pulchrum autem respicit *vim cognoscitivam*; pulchra enim dicuntur, *quae visa placent*.¹⁾ Et alio loco²⁾: „Pulchrum est idem bono, sola ratione differens . . . de ratione boni est, quod in eo quietetur appetitus; sed ad rationem pulchri pertinet, quod in eius *aspectu seu cognitione* quietetur *appetitus*. . . Et sic patet, quod pulchrum *addit supra bonum* quendam ordinem *ad vim cognoscitivam*, ita quod bonum dicatur id, quod simpliciter complacet appetitui, pulchrum autem dicatur id, cuius *apprehensio* placet.“ Si pulchrum refertur ad vim cognoscendi, cognitio tum intellectualis tum sensitiva intelligenda est, quia per utramque res pulchrae aliquo modo apprehendi debent.

3. Pulchrum igitur, ut ex dictis patet, est *bonum intuentem delectans*. Sed haec definitio est potius a posteriori, neque naturam ipsam pulchri satis manifestat. Pulchrum enim, sicut verum et bonum, potest considerari *fundamentaliter, formaliter, effective*. Iam vero definitio modo proposita significat pulchrum potius *effective*

¹⁾ S. Theol. I, qu. 5, art. 4 ad 1. ²⁾ l. c. I. II. qu. 27, art. 1 ad 3.

spectatum, i. e. effectum, quem res pulchra in intuentem producit scilicet sensum pulchri. Quaeritur igitur, quid sit pulchrum *fundamentaliter sive obiective* spectatum. Vidimus, pulchrum supponere rationem boni, unde prima ratio fundamentalis, saltem inadaequata, est rei bonitas, quae consistit in aliqua perfectione eius. Sed haec bonitatis ratio *in genere* nondum sufficit ad rationem pulchri fundamentalem constituendam. Nam a) omnis res habet aliquam bonitatem, quae tamen intuentem non semper delectat. Omnis enim defectus in re aliqua perceptus nobis displicet, ita ut, si plures vel graves in ea apprehendantur defectus, res nobis minime placere possit; b) constat experientia, res pulchras eo ipso amittere suam pulchritudinem, quod deficiunt a statu perfecto naturae, e. g. rosa, quae amisit folia, vel cuius folia sunt putrida.

Requiritur igitur ad rationem pulchri: 1^o *ex parte obiecti* ipsius non quaelibet rei perfectio, sed *status naturae perfectus*¹⁾, ita ut respondeat ideae suae exemplari in mente artificis existenti, i. e. individuo naturam suae speciei perfecte habenti; supponit igitur *veritatem ontologicam*. Iam vero rei perfectio potest esse *essentialis* (integralis in rebus quantis), *accidentalis, finalis*. Res igitur habet plenam bonitatem, si triplicem illam possidet perfectionem, quae excludit defectus intuenti displicentes. Sic rosa perfecta erit, si habeat adhuc omnia folia (perfectio essentialis — integralis), si habet colorem vividum (perfectio accidentalis), si omnia folia bene inter se disposita sunt (perfectio finalis: totius vel ordinis). Quo magis quaeque res accedit ad statum perfectum, eo maior erit eius pulchritudo ac proinde delectatio, quam intuenti affert; unde una rosa pulchrior est alia. (Iam vero facile patet, res potissimum *ex fine suo* diiudicari; nam omnes res ad finem ordinantur et ad eum obtinendum natura earum et vires modo debito disponuntur. Unde sequitur, res eo esse perfectiores ac proinde pulchriores, quo melius est totum et quo perfectius partes ad totum ordinantur; quo altior est finis, ad quem res ordinantur, et quo perfectius finem attingunt. Neque igitur mirum, tot esse res pulchritudine inter se differentes, res organicas pulchritudine antecellere anorganicis, pulchritudinem autem hominis praestare aliis rebus visibilibus, eumque quo maiore virtute sit praeditus, eo magis antecellere pulchritudine propter perfectionem *finalem*.)

2^o *Ex modo manifestationis* rei pulchrae requiritur, ut eius perfectio *clare et perfecte* intuenti proponatur²⁾; nam a) cognitio rei im-

¹⁾ Cfr. „Kunstlehre“ von Gietmann u. Sørensen, S. J., I. Th., pag. 97; Stöckl, Lehrb. d. Ästhetik, 1889³, pag. 42 sq; Kirstein, Ästhetik, pag. 10 sq.; Schiffrini, princ. philos., p. 515 sq.; Kuhn, Allgem. Kunstgeschichte, 1892, II, p. XI; Grimmich, Lehrb. d. theor. Philos., 1893, p. 216 sq. ²⁾ Hoc additur praesertim

perfecta aequivalet rei ipsius imperfectioni, ac proinde homo intuens in ea non quiescit; b) pulchrum est bonum modo intentionali possessum. *Atqui* si cognitio est imperfecta, etiam possessio erit imperfecta, neque delectationem, sed potius desiderium vel tristitiam excitat contemplantis; c) experientia docet, obiecta etiam perfectissima, e. g. Deus, nisi modo proportionato menti intuenti proponuntur, non excitare sensum delectationis, quae est signum et effectus rei pulchrae. Quare pulchrum dicitur, quod *visum* placet, quia visio oculorum est cognitionum omnium clarissima et facillima. Patet autem, claram hanc rei pulchrae cognitionem *non constituere* ipsam rei pulchritudinem, sed eam *manifestare*, quemadmodum lux solis regionis alicuius pulchritudinem non efficit, sed manifestat, ac proinde esse conditionem, sine qua delectatio pulchri haberi non possit.

Atque haec pulchri explicatio videtur esse fere communis. Ita S. Thomas omnia complectens dicit: „Pulchrum in debita proportione consistit“¹⁾ (perfectio finalis totius et ordinis); et alio loco²⁾: „Ad pulchritudinem tria requiruntur: primo quidem *integritas* sive *perfectio*; quae enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt; et debita *proportio*, sive consonantia, et iterum *claritas*. Unde quae habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur.“ Alio loco (opusc. de pulchro): „Ratio pulchri in universali consistit in resplendentia formae super partes materiae proportionatas vel super vires vel actiones“. Neque multum discrepat sententia S. Augustini definiens pulchrum „splendorem ordinis“³⁾, vel „omnis pulchritudinis forma unitas est“⁴⁾; vel eorum, qui pulchritudinem rerum repetunt ex „unitate in multiplicitate“⁵⁾, vel vocant „splendorem veri“, siquidem perfectio rei est eius veritas ontologica, i. e. cum idea exemplari divina conformitas. Recte etiam Cicero describit pulchritudinem tum in rebus materialibus, tum spiritualibus: „Ut corporis est quaedam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate ea quae dicitur pulchritudo: sic in animo opinionum iudiciorumque aequabilitas et constantia cum firmitate quadam et stabilitate virtutem sequens (Charakter) aut virtutis vim ipsam continens pulchritudo vocatur.“⁶⁾ Propterea Graeci mundum vocant *κόσμον*, ut eius pulchritudinem ex ordine universali relucentem designarent, et Plato saepe bonum, i. e. rei perfectionem et pulchrum quasi idem exhibet: *τὰ δὲ ἀγαθὰ καλὰ*.⁷⁾ Hoc idem sentiunt et plurimi recentes auctores, ut Carrière, Lotze, Th. Lipps, Volkelt et alii.⁸⁾ — Ergo ex dictis demonstratur, pulchrum *fundamentaliter* (seu ontolice) consistere in rei *perfectione clare perfecteque nobis appa-*

propter pulchrum *artis*. Potest enim ars rem in se perfectam, e. g. facta, miracula, mortem Domini, virtutes sanctorum etc. repraesentare, sed modo inconvenienti et indecenti; pulchrum autem *naturae* per se etiam perfecte semper intuenti apparet et modo debito proponitur ab artifice divino ipso.¹⁾ S. Theol. I, qu. 5, art. 4. ²⁾ l. c. qu. 39, art. 8; in lib. sent. I, dist. 31, qu. 2. a. 1. Albertus M. opusc. De pulchro. ³⁾ De vera religione c. 41 n. 77. ⁴⁾ Epist. ad Coelest. n. 2. ⁵⁾ Cfr. Opus egregium Jungmanni, Ästhetik 1884²⁾, p. 317. ⁶⁾ Tuscul. IV, 13; cfr. de officiis I, 28. ⁷⁾ Cfr. Sympos. n. 201. ⁸⁾ Volkelt, System d. Ästhetik, 1905, p. 467 sq.

rente, quae perfectio eius *veritatem* ontologicam et *bonitatem* intrinsecam essentialem, accidentalem, finalem comprehendit.¹⁾

At videntur esse res perfectae, quae tamen nullo modo habentur pulchrae, e. g. rana sive aranea ex omni parte perfecta. Sane, multa obiecta ab hominibus non habentur pulchra, licet in se sint perfecta, ex triplici ratione: a) quia non *perfecte* cognoscuntur, praesertim quum saepissime finis rerum sapientissimus earumque natura intima nos lateat. Quis enim non admiratur araneam instinctu naturali telum subtilissimum et aptissimum mirabili arte efficientem? Cognitio autem rei imperfecta ratione sensus pulchri aequivalet ipsius rei imperfectioni; b) quia res multae, licet in se sint pulchrae, si tamen cum aliis comparantur, non videntur pulchrae; sic asinus comparatus cum equo arabico est *relative* deformis. Hoc vero non probat nisi res non esse *aeque* formosas; c) quia ex associatione idearum (aversio naturalis, ideae praeconceptae, dispositio subiectiva, recordatio doloris, infortunii, defectus moralis etc.) res aliqua in se perfecta nobis delectationem non affert, e. g. serpens coloribus nitens. Unde notum illud: De gustibus non est disputandum. Neque vero inde deduci potest, nil obiective pulchrum esse; secus ex erroribus multis et dissensionibus hominum nullam esse veritatem obiectivam eodem iure probaretur. Saepe igitur alii affectus impediunt vel expellunt affectum pulchri vel cum eo confunduntur, praesertim in delectatione sensitiva.²⁾

4. Pulchrum vero si *formaliter* spectatur, quaeritur ratio *psychologica*, cur rei perfectio, i. e. eius veritas et bonitas intrinseca (ratio ontologica pulchritudinis) delectationem in nobis excitet sive excitare possit. Neque enim oportet pulchrum semper actu sentiatur, sed sufficit, ut *possit* animi nostri affectus movere. Patet, hanc rationem non esse: 1^o aliquam rei utilitatem; nam res pulchrae dicuntur, quae per se nullam habent pro nobis rationem medii ad finem, vel saltem non sub hac ratione tanquam pulchrae a nobis apprehenduntur, e. g. flos, aurora, arcus in coelo. Deinde 2^o constat, res non vocari decoras neque delectationem pulchri afferre, in quantum perficiunt vel corpus vel animam nostram sive potentias nostras *physice*; nam delectamur de rebus minime possessis, sed solum intuitioni nostrae praesentibus; sic etiam homo libidinosus potest delectari de pulchritudine virtutis, quam non habet, ut saepe fit in theatris.³⁾ Neque quisquam dicit, carnem pulchram esse, quia manducando ea delectamur. Delectatio igitur pulchri non oritur ex amore concupiscentiae, sed *benevolentiae*; gaudemus enim de rei ipsius perfectione intrinseca; est igitur amor proprie dictus, qui desinit sibi que complacet in ipsa re eiusque perfectione clare perspecta. Rem pulchram amamus, quia in se amabilis apparet; ea delectamur, quia *in se delectabilis* est et

¹⁾ Frick, Ontol. n. 341; Boedder, theol. naturalis²⁾, p. 250. Villafranca, Compend. philos. II, 90 sq. ²⁾ Cfr. Stöckl, l. c. p. 178. ³⁾ Cfr. Jungmann, l. c. p. 304 citans Rousseau et Schiller.

ut talis clare cognoscitur. Unde Aristoteles pulchrum definit, „quod cum bonum sit, iucundum est *tanquam bonum*“ (*ἡδὺν ὅτι ἀγαθόν*)¹⁾, i. e. quia intrinsecus bonum est, nos delectat propter suam propriam perfectionem; quare et graeci et latini bonum saepe pulchrum (*καλόν*, honestum) vocant.²⁾ Hoc modo ille affectus habetur, quem recentiores vocant artis „libertatem“ (Freiheit der Kunst = Relations-, Stoff-, Tendenzlosigkeit)³⁾.

Sed voluntas nostra amando vel delectando non potest unquam perfecte a *bono nostro* abstrahere, quia essentialiter tendit idque necessitate naturae in felicitatem nostram. Quaeritur igitur, cur delectetur perfectione rei nobis extraneae. A) Ratio *proxima* est *convenientia quaedam rei pulchrae cum natura nostra rationali*. Nam necessitate naturae amamus nos ipsos amore benevolentiae et delectamur bonis nostris; per consequens etiam illa amore eodem amplectimur, quae naturam nostram, eius qualitates modumque nostrum agendi quasi in signo sive in imagine exhibent, sicut homo delectatur sua imagine percepta. Est enim axioma notissimum: Simile simili gaudet. Atqui res perfectae in multis imitantur: a) *naturam nostram*⁴⁾; natura enim nostra est substantialis et anima nostra immortalis; quidquid igitur aliquid soliditatis, stabilitatis prae se fert, nobis placet, e. g. montes, rupes altissimae: porro anima simplex cum corpore multis partibus constante format unam naturam; unde delectamur, quandocumque unitas in multiplicitate clare apparet; b) *qualitates nostras*; sumus praediti sensu et intellectu, qui tanquam lux spiritualis omnia perscrutatur arcana naturae; quare delectamur luce solis et coloribus diversis, qui non sunt nisi lux modificata; gaudemus voluntate libera, ac proinde admiramur opera instinctus brutorum eorumque motus spontaneos, qui quodammodo hominis voluntatem liberam imitantur; c) *modum nostrum agendi*; nam vivimus et operamur, ac proinde placet nobis motus tam multiplex in rebus anorganicis, e. g. mutatio temporum, motus coeli, aqua fontis, undae rivuli, fluminis, fluctus maris⁵⁾; porro vita tam mirabilis in plantis crescentibus, florentibus; in brutis, si impulsu naturae operantur. Deinde operatione intellectus individua ad unitatem conceptus, in iudicio subiectum et praedicatum ad identitatem reducimus et rationabiliter operantes ordinem semper et finem intendimus, unde adeo delectamur unitate ordinis tum totius, tum finalis, quam in rerum natura ubique deprehendimus, quasi harmoniam mirabilem et concentum universalem, quem veteres praeaeuntibus Pythagoraeis (Sphärengefang) praedicabant. Propterea harmonia musicae tantopere hominibus placet, praesertim quum ipsa magis directe et immediate nervos excitet et appetitum inferiorem, quam aliae artes.

Quo maior vero est ordo et quo altior finis, eo maiorem in nobis excitant affectum amoris; unde non mirum, virtutem, quae est ordinatio hominis ad finem ultimum, maxime nobis placere. Denique nitimur, res quam perfectissime cognoscere et si sunt spirituales, imaginatione nobis vivide repraesentare; quare opera artis adeo nos delectant, quae pulchritudinem per se invisibilem modo sensibili nobis exhibent.

¹⁾ Rhetor. I, 9. ²⁾ Jungmann, l. c. p. 159. ³⁾ Volkelt, System d. Ästhetik, 1905, I, 520 sq. ⁴⁾ Cfr. Volkelt, l. c. I, p. 446. ⁵⁾ Cfr. psalm. 92.

Iure igitur meritoque S. Thomas: „Sensus delectatur in rebus debite proportionatis, sicut in *sibi similibus*; nam et sensus *ratio* quaedam est et omnis virtus cognoscitiva.“¹⁾ Neque minus recte Cicero: „Decorum id esse, quod *consentaneum sit hominis excellentiae* in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differt.“²⁾

B. Ratio vero *remota* sive *ultima* delectationis in re perfecta clare percepta est eius *relatio ad auctorem naturae*. Res enim omnes destinatae sunt, ut Dei perfectiones manifestent, hominesque in fine suo ultimo quaerendo adiuvent. Quo igitur perfectiores sunt ac proinde pulchriores in se, eo magis conformes sunt ideis divinis perfectis magisque participes sunt divinae bonitatis. Propterea magis et perfectius in eis relucet tanquam in speculo et splendor divinae sapientiae et thesaurus divinae bonitatis. Accedit, quod mens nostra et cor nostrum facta sunt ad Deum cognoscendum et amandum *mediantibus rebus creatis et visibilibus*, unde finis noster et felicitas quodammodo in rebus visibilibus nobis manifestatur, sicut coelum stellatum reflectitur in speculo vel aqua fluminis. Patet igitur, res quo perfectiores sunt, eo pulchriores nobis apparere, quia Dei perfectiones nostramque in eo futuram felicitatem revelant. — Quod quidem praeclare iam Plato ex ore Socratis in Phaedone docet, necnon qui ipsum sequebantur Neo-Platonici: Plotinus et Proclus.³⁾ Ex his evidens est, et intellectum et voluntatem hominis debere esse bene ordinata, ut possit rerum veram perfectionem percipere et amare; qui vero erroribus est irretitus vel passionibus obcaecatus, neque veram semper pulchritudinem cognoscet neque amabit.⁴⁾

5 Pulchrum igitur *fundamentaliter* (ontologica, obiective) spectatum est *perfectio rei clare apparens*, et in hoc consistit rei veritas ontologica. *Formaliter* sive *psychologica* est perfectio rei clare apparens *propter se ipsam delectabilis*; (non igitur addit ad pulchritudinem obiectivam quidquam realitatis, sed *respectum ad voluntatem et quidem in quantum res propter suam perfectionem in se et propter se est amabilis* (non propter suam utilitatem). *Effective* seu *actualiter* subiective est perfectio rei clare apparens propter se ipsam *intuentem delectans*; addit igitur ad pulchritudinem formalem rei perfectae *actualem* eius intuitionem et delectationem inde ortam. Pulchrum convenit cum vero in eo, quod debet esse ontologicae verum, i. e. conforme ideae suae exemplari; differt a vero, quia primarie spectat ad voluntatem; convenit cum bono, quia pertinet imprimis ad voluntatem et est species boni; differt a bono in genere, quia requirit *perfectionem rei*, i. e. eius statum perfectum et quia *inten-*

¹⁾ S. Theol. I, qu. 5, art. 4. ²⁾ De offic. I, 27. ³⁾ Cfr. Jungmann, l. c., p. 144. Hoc idem sentit etiam E. v. Hartmann (cfr. Drews, pag. 655 sq.), licet de natura entis absoluti, quod tanquam voluntatem inconsciam et alogicam mundo sese explicantem habet, valde a nobis dissentiat. ⁴⁾ Cfr. Hallier apud Gutberlet, Naturphilos., 1894² p. 112.

tionali modo delectat.¹⁾ Pulchrum igitur non est notio transcendentalis²⁾, sicut verum et bonum, quia non omnes res perfectae sunt.

Coroll. Ex definitionibus modo propositis apparet, nonnullas alias pulchri definitiones deficere, quia pulchrum vel in sola veritate vel in sola bonitate collocant, quum ratio pulchri et veritatem et bonitatem rei complectatur. Alii enim pulchrum dicunt esse id, quod ideae suae exemplari est conforme. Sane, omne pulchrum ideae suae exemplari debet esse conforme, non tamen in hac conformitate *adaequate* consistit; secus omne verum et bonum esset pulchrum; sed pulchrum superaddit rei *perfectionem*, quae refertur ad voluntatem ita tamen, ut propter se ipsam intuentem delectet. Alii — et sunt plurimi — post Baumgarten (Aesthetica, 1750) definiunt pulchrum, ut sit idea in forma sensibili proportionata apparens. Sed a) haec definitio per se conveniret *omni veritati*, praesertim mathematicae; sic propositio: $2 + 2 = 4$, exhibet ideam eamque forma sensibili proportionata exprimit; b) si forma sensibilis non solum ex parte cognoscentis hominis, sed a parte *rei pulchrae ipsius* requiritur, non possent res spirituales esse pulchrae, ut scientia, virtus, anima, Deus; sed ad summum homo esset pulcher³⁾; c) pulchrum formaliter constituitur per relationem ad voluntatem.

Alii tandem cum schola stoica veteri pulchrum definiunt „unitatem in multitudine“, quae definitio exhibet certe rationem aliquam vel potius legem fundamentalem pulchri, sed non sufficere videtur: a) quia per se non adhibenda esset, nisi ad res quae constant partibus, i. e. res materiales; b) etiam res imperfectae ac proinde non pulchrae possunt habere saltem unitatem *essentialem* partium, e. g. homo deformis, habens tamen omnia membra; c) quia non exhibet *formalem* rationem pulchri, i. e. relationem ad voluntatis delectationem per rei intuitionem. — Neque probanda est definitio, praesertim a Batteux († 1780) post veteres proposita: pulchrum esse imitationem naturae, quia licet artifices exemplaria sua ex rerum visibilium perfectionibus efformant, abstrahunt tamen a defectibus, qui in rebus saepe inveniuntur. Secus photographia esset ars omnium praecipua. Multo magis reicienda est definitio Schellingii a multis laudata, pulchritudinem esse *identitatem* infiniti et finiti, idealitatis et realitatis, necessitatis et libertatis sensibili modo apprehensam, supponit enim Pantheismum in se absurdum.⁴⁾ Neque definitio Kantii a multis probata est admittenda⁵⁾: pulchrum esse, quod phantasiam modo connaturali („zu naturgemäsem Spiel“) excitet; nam licet phantasia magnas

¹⁾ Deficit igitur definitio pulchri clarissimi Jungmann (l. c. p. 148 et 161 sq.), quia notionem pulchri a bono non satis distinguit, eam habet transcendentalem et ex convenientia cum natura nostra rationali *primarie* deducit. (cfr. Stöckl, l. c. p. 23 sq.). ²⁾ Quod Stöckl, l. c. p. 54, immerito affirmat non constans suae pulchri definitioni: esse splendorem *perfectionis* intrinsecae (Abglanz der Vollkommenheit.) ³⁾ Ita Schiller putat: „Gleichgewicht zwischen Form u. Stoff; das wahrhaft Menschliche ist das Schöne“; Ueber ästhet. Erziehung des Menschen, Brief 15, 16, 17. „Doch Schön'eres find' ich nicht, so lang ich wähle, als in der schönen Form die schöne Seele“ (Huldigung der Künste). Confer tamen „Die Künstler.“ ⁴⁾ Cfr. Jungmann, l. c. 313 etc. ⁵⁾ „Form d. Zweckmässigkeit eines Gegenstandes ohne Vorstellung eines Zweckes“, Überweg-Heinze, Grundr. der Gesch. d. Philos. (1901) III, p. 363.

habeat partes in pulchro nobis *repraesentando*, ipsa tamen pulchri ratio non consistit in lusu quodam connaturali phantasiae; secus enim a) pulchrum non se haberet ex parte rei, sed esset mera affectio subiectiva; b) non essent res pulchrae nisi sensibiles; c) omnis lusus phantasiae connaturalis (quid est?) sensum pulchritudinis excitaret, quod et rationi et experientiae repugnat. Alii, sequentes Theodorum „atheistam“ ex schola Cyrenaica, ut Home, Burke, Addison, Lemke, Berg (Darwinistae), K. Lange, Nietzsche, Guyau et alii dicunt, pulchrum esse, quod voluptatem sensibilem excitet et „instinctui sociali“ sive amoris sexuali hominum respondeat¹⁾, quae sententia non indiget refutatione, quia homines bestiales supponit; hoc enim modo etiam canes haberent sensum pulchri.

II. Divisio pulchri.

A. *Ratione sui* sive *perfectionis* dividitur in *pulchrum simpliciter, sublime, gratiosum*. a) Pulchrum *simpliciter* est, quod supra explicavimus: perfectio rei clare apparens propter se delectabilis.

b) *Sublime* vocatur gradus eminens pulchritudinis, i. e. perfectio rei cognitionem intuentis ita superans, ut delectationi affectus quidam admirationis, stuporis, vel reverentiae admisceatur; et potest inveniri: 1^o in factis divinis supernaturalibus, e. g. persona, vita, miracula, mors Christi; 2^o in factis humanis, e. g. cathedralis ecclesiae s. Petri Romae, Coloniae; statuae praegrandes; fortitudo militum, mors pro patria, pugna acerrima contra vitia in magna tentatione, e. g. sancti, martyris; 3^o in factis historiae, e. g. ingentes exercitus, pugnae, imperium vastum, expeditio cruciata; providentia divina, ecclesia Christi militans contra potestates terrenas; 4^o in rebus naturae magnitudine vel vi immensa praestantibus: mare, montes alpini, tonitrua et fulgura, coelum stellatum, cursus siderum etc. — Quodsi homo magnis virtutibus, licet et defectibus quibusdam, praeditus fortiter pugnando sorti praepotenti succumbit, habetur *tragicum*.²⁾

c) *Gratiosum* est pulchrum, quod simul cum delectatione sensum suavitatis et teneritudinis excitat propter rei pulchrae tenuitatem, fragilitatem³⁾ vel indigentiam aliquam, tum in rebus organicis, tum anorganicis, e. g. gutta roris, aurora, flores, infantes; adolescentes vel adolescentulae castae, modestae, prompte obediens, pie orantes. Pulchritudo gratiosa magis sexui muliebri, sublimis magis sexui virili propter virium et corporis et animae praestantiam convenit.

B. *Ratione obiectorum* pulchrum dividi potest in *ideale, reale, artificiale*. a) *Ideale* est, quod non existit, nisi in mente divina vel humana, et quidem multo perfectius, quam quod in se existat vel existere possit; nam „nil perfecti sub sole“. ⁴⁾

¹⁾ Jungmann, l. c. p. 283 sq. Cfr. Gutberlet, Kampf um die Seele²⁾, p. 44. Vide alias definitiones falsas vel saltem insufficientes Phil. Jhrb., 1901, p. 347. ²⁾ Kuhn, l. c. III p. XXXIII sq. ³⁾ Cfr. Jungmann, p. 252. Stöckl, l. c. p. 93 sq. ⁴⁾ Cfr. Schiller: Das Ideal u. das Leben; die Ideale; Cicero de orat. II, 8–9.

b) *Reale*, quod in rerum natura existit, et subdividitur in *sensibile*, quod sensibus percipitur, e. g. arbores florentes, cantus avium; *intellectuale*, quod est scientia, in quantum eius contemplatio delectat¹⁾; *morale*, i. e. virtus, cuius clara cognitio maxime nos delectat. Patet, delectationem per se esse eo maiorem, quo perfectius est bonum, quod contemplamur.

c) *Artificiale*, quod, quasi intermedium inter pulchrum ideale et reale, mediis sensibilibus rem pulchram mente et phantasia artificis conceptam operibus *artis* exprimit. Ratione *mediorum*, quibus pulchrum artificiale exprimitur, distinguitur: 1^o ars poesiae, ars scenica, ars rhetorica, 2^o ars cantus et musicae, 3^o ars plastica, ars picturae, ars architecturae.)

*Thesis XXXIX: Pulchritudo obiectiva in se ipsa non est proprietas rerum sensibilis, sed intelligibilis.*²⁾

St. qu. 1^o Non negamus, immo in sequentibus affirmamus, ad pulchritudinem *actu sentiendam* requiri eius apparentiam in forma sensibili *pro nobis*, sed ut *conditionem* pulchritudinem obiectivam *manifestantem*, non autem in se constituentem; neque affirmamus res materiales non esse pulchras, sed earum pulchritudinem esse qualitatem saltem *praecisive immaterialem*.

2^o Adversantur nobis Sensistae et Formalistae, qui rationem pulchri in forma sensibili reponunt.

Prob. 1. Ex natura pulchritudinis: Pulchritudo consistit obiective in rei perfectione et essentiali et accidentali et finali. *Atqui* de rei alicuius perfectione sensus non possunt iudicare, sed solus intellectus rei essentiam ac conformitatem cum idea exemplari eiusque relationem ad finem perspicit. *Ergo* pulchritudo per se non est proprietas sensibilis.

2. *Ex consideratione obiectorum:* Obiecta pulchra sunt vel sensibilia vel insensibilia. *Atqui* patet: a) pulchritudinem in rebus insensibilibus non posse esse proprietatem sensibilem; b) res vero sensibiles si quaeritur, cur sint pulchrae, e. g. gutta roris, flos, imago aliqua, non respondetur, quia sensus nostros vel corpus nostrum perficiunt, ut panis, vinum; neque quia habent colorem vel extensionem quandam; nam in hoc conveniunt cum multis rebus non pulchris; sed quia ab aliis rebus eiusdem speciei distinguuntur propter suam perfectionem, i. e. propter *resplendentiam* quandam coloris, soni, propter certam symmetriam (aurea sectio³⁾), vel rhythmum vel

¹⁾ Cicero de finib. V, 18—19. ²⁾ Cfr. Stöckl, Lehrb. der Ästhetik, 1889³, p. 17 sq. Kuhn, Allgemeine Kunstgeschichte, 1892, II, p. X: „Die Schönheit ist etwas Geistiges, das bloss von der Vernunft erfasst wird.“ ³⁾ Cfr. Gutberlet, Naturphilos., p. 133; Gietmann, Grundriss der Stilistik, Poetik u. Aesthetik, Freiburg, Herder, 1897, p. 277.

harmoniam. Unde Aristoteles pulchritudinem rerum *sensibilium* ponit in ordine, symmetria et figura¹⁾, quam sententiam S. Thomas suam facit, ut supra vidimus. *Atqui* distinctio haec rerum secundum perfectionem pertinet ad intellectum, cuius est comparatio. *Ergo* pulchritudo etiam in rebus sensibilibus est qualitas intelligibilis.

3. *Ex absurdis:* Si pulchritudo esset qualitas sensibilis: a) res immateriales et spirituales non possent esse pulchrae; b) deberet esse sensus quidam corporalis percipiens pulchritudinem; c) etiam bruta deberent pulchritudinem qua talem apprehendere. *Atqui* omnes consentiunt, etiam res spirituales esse pulchras; immo pulchritudine sua multo superare res sensibiles²⁾; unde notum illud S. Augustini Deum alloquentis: „O pulchritudo tam nova et antiqua! quam sero te cognovi, quam sero te amavi.“ (Confess. X, 27.) — Deinde nullus sensus assignari potest, cuius obiectum formale sit pulchritudo; nam licet oculus et auris percipiant *obiecta* pulchra, non tamen percipiunt *pulchritudinem* obiecti; oculus enim percipit *omnes* colores, non solum pulchros; auris omnes sonos, non solum pulchros, sensus autem pulchri non posset nisi res pulchras apprehendere. Unde bene S. Thomas notat, „illos sensus praecipue respicere pulchrum, qui maxime *cognoscitivi* sunt scl. visus et auditus *rationi deservientes*“.³⁾ Denique constat, bruta non habere ullum pulchri sensum, neque allici nisi rei sensibilis utilitate vel delectatione ad individuum vel speciem conservandam apta. Sic simia imagines scarabaeorum ex libro comedit; vacca flores devorat vel pede conculcat. Et si quando bestiae non-nullae sonis musicae videntur excitari, est nervorum excitatio *physiologica*, non *psychologica*.

4. *Ex historia artium ingenuarum:* Si pulchritudo esset qualitas sensibilis, artes praesertim in origine sua et in statu maximae perfectionis res sensibiles qua tales earumque qualitates imitatae essent. *Atqui* constat, artes omnes (poesiam, musicam, architecturam, plasticam) ortum duxisse ex cultu deorum, i. e. ex religione, quae non est nisi de rebus insensibilibus; deinde constat, artes florentes praesertim obiecta, quae ad religionem et mores spectant, celebrasse⁴⁾ (Phidias, Raphael etc.), et signum causamque artium ruinae semper in eo fuisse, quod pulchritudinem intelligibilem spernentes rebus mere sensibilibus, immo sensualibus repraesentandis

¹⁾ Metaph 13 (12 ed. Berol. 1831), 3; Poet. 7. S. August., de vera religione edit. Paris, 1836, 54 (30) sq. ²⁾ Xenoph., Memorab. III, 10; cfr. testimonia veterum apud Jungmann, l. c. p. 37 sq. et 103 sq. ³⁾ S. Theol. I, II, qu. 27, art. 1 ad 2. ⁴⁾ Cfr. Jungmann, l. c. p. 338 etc. Ars igitur per se honesta est atque religioni amica, quare falsum est, eam in se esse immoralem, ut nuper Paulhan (cfr. Revue Néo-Scholastique, 1905, p. 239 sq.) affirmat, licet periculo sensualismi possit esse obnoxia propter formam sensibilem pulchri.

operam dabant, libidini et voluptati carnali blandientes. Ergo pulchritudo per se est qualitas intelligibilis.

Coroll. Iure igitur S. Augustinus ¹⁾: „Quamquam sint multa pulchra visibilia, quae minus proprie honesta appellantur, ipsa tamen pulchritudo, ex qua pulchra sunt quaecunque pulchra sunt, nullo modo est visibilis.“ Neque aliter sensit Cicero: „Eorum ipsorum quae aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit“ ²⁾; et alio loco: „Decorum . . . mente et cogitatione distinguitur.“ ³⁾ Unde ille „realismus“, qui hodie in artibus exercendis tam late patet, est reiiciendus estque ruina artium. ⁴⁾ Schiller igitur reprehendendus, qui iudicium de pulchritudine non rationi, sed *sensibus* tribuit et solam docet pulchritudinem *architectonicam* hominis, non eius dignitatem esse respiciendam; exemplar autem pulchritudinis humanae esse venerem Onidensem (a Praxitele sculptam, nudam et a Cois repudiatam). ⁵⁾

Obi. 1. Si pulchritudo esset qualitas rerum intelligibilis, res materiales non possent esse pulchrae; dist.: si esset qualitas positive spiritualis — conc.; quum sit qualitas positive vel saltem praecisive immaterialis — nego.

2. Atqui est qualitas nullo modo immaterialis, sed sensitiva, quia nulla res pulchra apparet, nisi per formam sensibilem nobis manifestatur; dist.: quia forma sensibilis pro nobis est conditio necessaria — conc.; quia in ipsa est essentia pulchritudinis sive totalis sive partialis, subd.: si ut *forma* consideratur sc. eius aptitudo et proportio ad rem perfectam etiam perfecte manifestandam — conc.; sed tunc nego suppositum sc. hanc proportionem sensibus percipi; si forma ut *sensibilis* consideratur — nego.

3. Atqui forma ut sensibilis constituit saltem ex parte pulchritudinem rerum; secus non posset dici: pulcher color, pulcher sonus, pulcher gustus (vini) etc.; dist.: si sonus, color etc. in se consideratur, nulla comparatione instituta vel cum aliis sonis vel cum re sono, colore repraesentata — conc.; alias — nego. — Ceterum obiecta gustus, odoratus etc. non proprie, sed analogice vocantur pulchra.

4. Atqui qualitates illae in se sunt pulchrae, quia etiam bruta rebus pulchris delectantur e. g. aves cantu aliarum avium; equi sonis musicae etc.; dist.: excitantur physiologice et per consequens etiam psychologice — conc.; habent sensum pulchri, i. e. delectantur de rei alicuius perfectione amore benevolentiae — nego.

5. Atqui si pulchritudo esset qualitas per se intelligibilis, gentes feroces non delectarentur de rebus sensibilibus minime pulchris, e. g. de ornamentis aures, nasum, corpus (Tättowieren) deturpantibus; dist.: nisi ideas falsas de certis rebus pulchris ex maiorum institutione vel ex errore mentis haberent — conc.; quum quoad certas res habeant ideas erroneas, subd.: et hoc probat,

¹⁾ De divers. qu. 83. ²⁾ De offic. I, 4. ³⁾ l. c. I, 27. Cfr. Schiller, „Worte des Wahnes“: „Was kein Ohr vernahm, was die Augen nicht sahen, Es ist dennoch das Schöne, das Wahre.“ ⁴⁾ Cfr. Zeitschr. für christl. Kunst, 1897, 9.—11. Heft, „Gedanken über moderne Malerei“ von Keppler, Bischof von Rottenburg. ⁵⁾ Anmut und Würde, cfr. Jungmann, l. c. 619.

sensum pulchritudinis supponere rectum usum mentis — conc.; probat, qualitates sensibiles constituere obiectivam pulchritudinem — nego.

6. Atqui ex exemplo illo necnon ex iudiciis infantium de rebus pulchris et ex dissensu hominum videtur elucere, pulchritudinem non esse qualitatem obiectivam rerum, sed subiectivam affectionem dependentem a dispositione organica hominum; dist.: ad sensum pulchritudinis requiritur rectus usus mentis et debita dispositio organorum, ut conditio — conc.; ipsa pulchritudo est mere subiectiva — nego. — Ita etiam ad verum cognoscendum legitima dispositio facultatum earumque rectus usus requiritur, ne erremus; verum autem ipsum obiectivum est et independens a nostra cognitione.)

Thesis XXXX: Pulchritudo subiective spectata, i. e. sensus pulchritudinis requirit in statu nostro praesenti, ut modo sensibili nobis proportionato clare proponatur.

(*St. qu.* 1^o Ostendimus pulchritudinem rerum obiective spectatam esse proprietatem per se intelligibilem; sed constat, eam saepe a nobis non percipi, quia deficit clara eius intuitio. Quaeritur igitur, quid requiratur, ut adsit illa clara intuitio. Affirmamus, eam esse in forma sensibili proportionata, qua pulchrum nobis per sensus externos vel internos (phantasiam) repraesentatur.

2^o Patet, non agi nisi de cognitione *nostra* pulchri, non puri spiritus, qui modo suae naturae proportionato per *intuitionem mere spiritualem* pulchrum, i. e. rei perfectionem perfecto modo percipit. Neque agitur nisi de modo cognitionis nostrae *praesentis*, non vero vitae futurae vel supernaturalis.

3^o Adversantur nobis ex una parte tum veteres Platonici et Cynici, formam sensibilem despicientes; ex altera parte Sensualistae et veteres et recentes totam rationem pulchri in forma sensibili collocantes.)

Prob. 1. *Ex natura pulchritudinis:* Pulchritudo rerum consistit in earum perfectione (veritate et bonitate). *Atqui* haec perfectio non potest a nobis modo debito cognosci, nisi modo proportionato et perfecto nobis apparet; modus autem cognoscendi in statu praesenti nobis proportionatus est intelligibile in sensibili, immateriale in materiali, et quo perfectius intelligibile in sensibili apparet, eo perfectior erit cognitio intellectualis. *Ergo* pulchritudo rei, ut percipiatur, debet modo sensibili nobis proponi.

(2. *Ex effectu pulchritudinis:* Effectus pulchritudinis in nobis est delectatio; delectatio autem supponit rei possessionem, et delectatio pulchri supponit rei possessionem intentionalem per intuitionem. *Atqui* res modo intentionali a nobis non perfecte possidetur, nisi a facultate nostra cognoscendi *adaequata* percipitur, i. e. *ab intellectu simul et sensibus* (saltem phantasia). *Ergo* delectatio pulchri requirit, ut modo sensibili exhibeatur.